



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Tempus qualiter sit in horarum canonicarum celebratione considerandum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

## Horæ canonicæ. 319

petuntur communiter in diuino officio. Vel quantum ad ipsum Deum, seu Iesum Christum crucifixum, &c. Et hæc omnes, secunda excepta, communes sunt doctis & indoctis, maribus & mulieribus: nisi quod in prima ignorantes possunt materialiter errare: sed non refert ad propositum. sat enim est quod quis attendit ne erret. Et quia vna istarum attentionum sufficit, ideo inexcusabilis est quisquis officium diuinum dicit non cum animo quantum ex se est vacandi Deo, *Qui enim cum hoc animo inchoat & non mutatur in contrarium (hoc est in voluntatem non attendendi diuino officio) celebrat diuinum officium ex parte sua studiosè & deuotè, exspectans quantum Deus det in profsequendo tam attentionis quæ spectat ad studiositatem applicatiuam intellectus, sensus ad attendendum, quàm cuiuscunque sanctæ affectionis, quæ spectat ad deuotionem oblatiuam promptæ voluntatis ad ea quæ Dei sunt. Sicut igitur contra Ecclesiæ præceptum agit, ex occultissimo interiori odio omittens inquirere, &c. ita contra Ecclesiæ præceptum agit ex occulto interiori proposito instudioso, & in deuoto dicens officium diuinum.*

*Qui verò saluo animo vacandi Deo inuoluntariè vagatur, non peccat. Qui verò negligenter se habet circa executionem attentionis & deuotionis, venialiter peccat. Nunquam enim interuenit transgressio præcepti, quamdiu immutatum manet primum propositum vacandi Deo. Hæc de tertio.*

### *Tempus qualiter fit in horarum canonicarum celebratione considerandum.*

**Q**uo ad quartum de tempore, distinguendum est: quia priuatum dicendo officium tempus est totus dies inchoans à vespere præcedentis diei

320 Horæ canonicæ.

diei usque ad mediam noctem sequentis diei, ita tamen ut solas matutinas liceat vesperi præcedenti dicere. Graue tamen est peccatum sine rationabili causa retardare multum horas : ut dicere primam horam nona, vel vesperarum. Præuenire tamen ut quietius ac deuotius dicatur, consulitur à iure in c. presbyter. ut scilicet manè dicantur horæ usque ad vespertas inclusiue. Tempus autem publicæ celebrationis horarum, est iuxta laudabilem cuiuslibet Ecclesiæ ac patriæ consuetudinem. Et licet sancitum sit in iure, ut horis debitis in Ecclesiis cathedralibus & collegialibus horæ dicantur, nullum tamen ego cognosco peccatum mortale in huiusmodi, etiam si quandoque negligentia magna interueniat, dummodo cummuniter seruetur consuetudo: quia in huiusmodi circumstantiis non puto incurri mortale peccatum sine contemptum, quoniam non spectat ad substantialia materię preceptæ. Hæc de quarto.

*Diuinū officium quocunque in loco priuatim celebrari permittitur: publicè autem vel iura iubent in Ecclesia tantum.*

Quo ad quintum de loco, nullus est locus in quo non liceat priuatè diuinum exoluere officium. Publicè autem in Ecclesia celebrandū esse iura iubent à deputatis ad illud: ita quod deponendi à clerici consortio sunt qui castigati nolunt interesse, ut in Decretis dist. xcii. cap. vlt. decernitur. Vbi tamen contemptus dæst, & propter meam absentiam non notabiliter leditur diuini cultus officii: & Prælati dissimulant, parum de iis quæ Dei sunt curantes, nõ incurro mortale peccatū ex hoc quòd desum horis canonicis in Ecclesia mea: quia contra præceptum iuria positiui propriè non venio, nec notabile damnū infertur diuini cultui. Grauius tamen pecco, si sine rationabili